



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Circa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

habetur in Compend. Priuileg. Societ. I. s. v. §. 2.

### S. Vt autem

**S** I Iudices Cōseruatores limites potestatis suæ excedendo, de alijs quàm manifestis iniurijs cognoscant, vel ad ea, quæ iudicalem indaginem requirunt, se intromittant, per annum suspensionem ab officio ipso iure incurrunt. Pars verò litigans, si talem Cōseruatori inconcessam cognitionem fieri procurat, excommunicationem incurrat, à qua absolui non potest, priusquam alteri parti integrè restituat expensas, quas ob eam causam facere debuit.

Sed quòd Cōseruatores Religiosorum etiam in non manifestis, ac iudicalem cognitionem requirentibus procedere possint, dixi in c. 1. hoc lib. & tit.

### §. Officium.

**C**ōseruatoris cuiuscunq; officium per mortem concedentis Papæ ipso iure expirat, quoad negotia nondum cœpta. Sed dubium est: Si Religiosi Cōseruatorem deputent ad cōseruationem priuilegiorum suorum, accidat verò Pontificem vitæ excedere, vtrum Cōseruator ab eis deputatus procedere possit, tametsi ante mortem Pontificis causam non cœperat. Videtur negare Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. a. 43. argum. huius c. Sed contrarium asserendum est cum Rodriq. cit. q. 65. a. 6.

Si enim priuilegium Cōseruatores deputandi à Sede Apostolica Religiosis concessum perpetuò durat, donec reuocetur, sequitur quòd semper, etiam vacante Sede Apostolica, Cōseruatores deputare possint, ijque teneantur causam suscipere, & exequi, etiam inuocato, si opus sit, auxilio brasij secularis, sicuti in priuilegijs continetur.

Sed verum est antecedens, vti rectè ostendit Rodriq. cit. loco: Eò quòd priuilegia Ordini Regularium alteriusve Communitati concessa in eo de natura realium priuilegiorum, participant, quòd cum personis extingatur, vti constat ex l. forma, 4. §. quamquam, ff. de censibus, & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 23. n. 4.

Confirmatur: Vel Cōseruatoris officium ac potestas inutilis & irrita esset, propter mortem v. g. Pij V. qui priuilegia Regularibus concessit, vel inutilis ac irrita fieret per mortem huius Pontificis. Non primum: quia tum fateremur, penitus sublata esse priuilegia illa Regularium, quod nemo ait. Non secundum: Quia in c. hoc dicitur, officium Cōseruatoris extingui per mortem concedentis: Pontifex autem qui nunc moritur, Cōseruatorem non concessit, vt primus: Ergo &c.

Quare respondetur ad argum. ex hoc §. desumptum; Si Papa ipsemet Cōseruatorem specialiter ac directè designauit ad priuilegia Religiosorum in aliquo casu defendenda, eius potestatem extingui quoad negotia non cœpta, per mortem committentis: Secus, si priuilegium datum sit Regularibus, vt ipsi quocunq; occurrente tempore Cōseruatorem sibi eligere seu deputare possint. Cùm enim deputatio Cōseruatoris in hoc casu proueniat ex priuilegio perpetuo, eius naturam sequi debet, vt talis Cōseruator non auctoritate huius, aut illius Pontificis, sed ipsius Apostolicæ Sedis, quæ semper durat, delegatus censeri debeat, argum. c. si super 9. hoc lib. & tit.

### §. Circa.

**Q**uæ in cit. c. statutum, §. Insuper, & seqq. circa Iudices delegatos à Bonifac. VIII. decreta sunt, ea etiam à Iudicibus Cōseruatoribus obseruari debent.